

La Pancarte Noire de Saint-Martin de Tours, brûlée en 1793, restituée d'après les textes imprimés et manuscrits, Nr. 88

Carolus gratia dei rex Francorum et Langobardorum ac patricius Romanorum. Notum esse universis nostris credimus fidelibus, qualiter temporibus genitoris nostri bonae memoriae Pippini quondam regis seu et avunculi nostri Carlomanni res aliquae in ducatu Alamanniae fisci ditionibus redactae fuerunt, quas modo diversi homines quasi iure proprio possidebant iniuste et aliquas exinde iam per vinditiones, donationes seu diversos quoslibet modos habebant dispersas: ex quibus Fulridus quondam Alamannus per cartam vinditionis partibus basilicae sancti Martini, quo pretiosum requiescit corpus, aliquam rem in Stainagonstat in pago Brisigauia [inlicito ordine] delegavit; unde Itherius abba per suos wadios legibus nobis visus est revestisse. Sed nobis considerantibus ob amorem dei et reverentiam sancti Martini pro mercedis augmento et animae nostrae remedium seu stabilitate regni nostri deinceps per nostrum preceptum prefatam rem ad ipsam casam dei prumptissimo animo ac voluntate benigna concedere ac delegare decrevimus. Propterea hoc nostrae firmitatis preceptum iussimus conscribi, ut memoratam rem cum omni integritate, cum ecclesia terris domibus aedificiis mancipiis vineis silvis vel cunctis ibidem adiacentiis vel appendiciis in quibuslibet locis, sicut antea ipsa casa dei visa fuit possedissee, ita et deinceps per nostrum preceptum plenius in dei nomine confirmatum ab hac die pars prefatae basilicae sancti Martini habeat, teneat atque possideat et in nostra elemosina ibidem omni tempore in augmentis proficiat. Et ut haec auctoritas firmior habeatur vel per tempora melius conservetur, manu propria firmavimus et de anulo nostro sigillare iussimus.

Signum Caroli gloriosissimi regis.

Ercanbaldus advicem Radoni recognovit et subscripsit.

Data pridie kal. septembris anno vigesimo secundo regni domni nostri Caroli excellentissimi regis; actum Copistaino; in dei nomine feliciter amen.